



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Praxis Meditandi A S. P. Ignatio Societatis Iesv Fundatore  
traditæ Explicatio**

**Le Gaudier, Antoine**

**Dilingæ, 1627**

Cap. XIX. Fructus orationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50280](#)

158 DE ORATIONE

in oratione ipsâ: & hic defectus est  
in voluntate. Secundum, defectus  
attentionis & distractionis, qui de-  
fectus in intellectu præcipue consi-  
dit. Tertium deceptions & illusio-  
nes, mali vel humani spiritus, quas  
tam in intellectu, quam in volunta-  
te pati nos contingit.

---

CAPUT XIX.

*Fruitus orationis.*

**V**T autem facilius per examen de-  
prehendamus quinam sint Fru-  
ctus Meditationis, breuiter ante o-  
culos ponere visum est, non quidem  
omnes, sunt enim innumeri, sed præ-  
cipuos quosque. Respondent autem  
maximâ ex parte illis affectibus, quos  
suprà excitandos esse diximus; pau-  
cis omnes complectitur Bernardus.  
*in Epistol. Orando bibitur vinum spi-  
rituale lâtificans cor hominis, vinum  
scilicet Spiritus Sancti, quod inebriat  
men-*

mentem, & carnalium voluptatum infundit obliuionem, humectans interiora arentis conscientiae, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quedam anime membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansq; charitatem, & impinguans mores. Nos paulò fusiūs, & alio ordine eosdem prosequemur.

## PRIMYS FRVCTYS.

*Lumen practicum.*

**P**RIMUS FRUCTUS orationis Mentalis est, nostri & Dei, ciuisque sanctissimae voluntatis cognitio, eaq; practica, quæ certè fundamentum est & basis salutis nostræ & omnis perfectionis. Ea cognitio hausta ex ipsis fidei principijs per fidei lumen & cæteram intellectui infusa sapientiae dona spargit sese, meditationis beneficio, & longè latèq; in Deum & eius opera & in nostras orationes actionem deriuat. *Sicut enim, ait Chrysostomus,*

H 3 soft.

## 160 DE ORATIONE

soft. l. i. de orando Deo. sol lucem pra-  
bet corpori, sic anima lumen est preca-  
tus. Quo fit ut hæc actiones nostræ, ubi  
sigillatim cum diuina sanctitate &  
voluntate veluti propriâ suâ regulâ,  
vel cùm Christi Domini vita ceu-  
ro exemplari conferuntur, depre-  
henditur facile quales sint, quid illis  
debet, quid & quomodo formandas,  
reformandasq; sint. Atque ea de cau-  
si magna est meditationis cum ex-  
amine conscientiæ cognatio. Nam  
per conscientiæ examen in notitiam  
aliquam imperfectionum nostrarum  
deuenimus, & per meditationem  
quam graues eæ sint, & quomodo ijs  
sublatis actiones nostræ reformandas  
sint, discimus. Itaq; si benè simul co-  
hærent, fieri non potest quin effi-  
caciter expulsis imperfectionib<sup>9</sup> for-  
ma perfectionis acquiratur, discussis  
per lumina practica tenebris, qua-  
mentem cæca quadam sui & Dei i-  
gnoratione obducebant. Hæc au-  
tom. 14.

te lumina practica examinanda post meditationem sunt, & notanda eò diligentius quo fuerint magis particularia.

## SECUNDVS FRVCTVS.

## Puritas mentis.

**S**ecundus Fructus est perfecta animæ puritas, Nam in viâ purgativa, meditatio sordes peccatorum abluit & ab omnibus grauiorib⁹ purgat: in illuminatiuâ à venialibus deliberatis, vel ex adhæsione ad bona creata prouenientibus liberat; denique etiam quantum in hâc fieri potest, minuit veniales lapsus qui ex infirmitate & subreptione contingunt. Nam non tantum seperat animam ab affectibus terrenis, sed etiam ab eorum occasionibus longè remouet: facit enim reip̄a ut mundum deserat, & fugiat quæ adiaphora seu indifferentia videntur, ut diuitias, honores, famam & commoda corpo-

ris, & potius inclinat ad perfectam Christi imitationem & crucem, ex quibus sit ut longè omnino fugiat à periculis & occasionibus venialium. *Frumentum tuum*, inquit Augustinus, *si haberes in inferioribus ne putresceret leuares illud ad superiora, non pretrescit cor, si leuetur ad Deum.* Praeterea teneram reddit animam & delicateam, sic ut minimos veniales lapsus magis sentiat, & grauiores reputet, quam multi suos lethales & crassos, eam etiam sollicitam valde efficit, nihil ut aliud exoptet quam ut uni Deo placere quam maxime possit, & ægerrimè ferat si vel minimo eum peccato offendat, alit enim generosum animum qui sese admidi nugas & inanem sæcularium hominū conuersationem abiicere dignatur, nihilque horret magis, quam quod displicet Deo. Denique abundantí quodam lumine eam implet, & sic illustrat, ut nihil in ea late-

re pos.

re possit quod non ipsa pernideat, & cui non diligenter opportuno reme-  
dio prospiciat. Hinc frequens con-  
scientiae examen, hinc sedulum &  
diligens exercitium virtutum omni-  
um, maximèque vitæ puritati serui-  
entium, qualis esse solet pœnitentia,  
mortificatio sensuum & linguæ, ti-  
mor Dei filialis, castitas, temperan-  
tia, fortitudo & prudentia ipsa quæ  
vulpeculas paruulas, id est fallaces  
carnalis mundanæque sapientiae ca-  
ptiunculas capit, deprehensaſq; per-  
dit. Nec enim, inquit Chrysostomus  
ibidem, sustinet deprecatio versari in-  
ter pauperes, sed in quorumcumq; pe-  
tore ſibi domicilium delegerit, eos red-  
dit plenos omnis iustitiae, erudiens &

exercens ad virtutem, ac ma-  
litiam omnem pro-  
pellens.

*Vera mortificatio.*

**T**ertiis Fructus est affectus veri mortificationis tam sensualitatis, quam passionum & malorum habituum: cum enim omnes sensuum voluptates ex corde, tanquam ex fonte profluant, si per sanctos affectus in meditatione excitatos ipsum hominis cor & voluntas repleatur sancto sui odio, coercedebit sine dubio sensuales delectationes, & inordinatum motuum redundantiam omnem ab ipsa radice amoris proprij gladio sanctae mortificationis & penitentiae resciendet, igneque diuini amoris penitus comburet. Nam licet mortificatio distinguatur a meditatione, & multi appareant operibus mortificationis dediti, qui parum vacant orationi, tamen vix potest esse solida mortificatio, quae non oriantur ex meditatione & oratione: cum suppo-

Supponat odium magna sui & peccati, ex quo generetur fuga omnium occasionum & periculorum, & continua in se naturamque suam pugna... Quæ certè amarior est & difficilior, nisi per meditationē confortetur anima, & plena tum spirituali lumine, tum sui cognitione solidioribus deliciis ad sensuum oblectatiōes refecandas roboretur. Hinc videmus eos omnes qui benè vt decet meditationi vacant, sui ctiam mortificationi vltro vacare strenue, & illatas vel à proximo, vel aliunde, Deo ita permittente, afflictiones, nō æquo tantum animo, sed etiam libenti tolerare, siue in sui vltionem, siue ob Dei amorem, cuius gloria, comoda propria, vitamque ipsam postponere, & ex integro seruire se gaudent siue agendo, siue patiendo. Ergo si quis huiusmodi affectus sit excitatus, notandus ille est & eius motuum, vt suo tempore in praxi.

H 6      cūm

## 166 DE ORATIONE

cùm occasio aderit, ad sensus, passi-  
onéique frænandas applicetur, quod  
quomodo fieri conueniat etiam di-  
spiciendum est.

## QUARTVS FRUCTVS,

*Rerum omnium contemptus.*

**Q**uartus Fructus est perfectus.  
Omnium rerum contemptus &  
renuaciatio, cùm enim per medita-  
tionem Deum ipsum, infinitum nem-  
pe bonum, diuitias immensas &  
gloriam, deliciásque inenarrabiles  
intellectu & voluntate possidet ani-  
ma, facilè est illi res omnes alias fa-  
stidire & abiicere, ut stercore, licet  
sine peccato retineri possent, imò e-  
tiam seipsum prorsus abnegare, ac  
quod in se ius habet abdicare, & in  
Deum ipsum transferre, adeo ut ni-  
hil præter eum magnificere & possi-  
dere velit, & omnia propter ipsius  
gloriam contemnere gaudeat. *Quis-*  
*quis.*

quis enim (ut Deum alloquitur D. Augustin<sup>9</sup>, Solilo. c. 1.) cognoscit te, (quod maximè sit per meditationem) diligit te, se oblinisciur, amat te plusquam se, relinquit se & venit ad te, ut gaudet de te, &c. Adde quod ex familiaritate cum Deo tanta animi magnitudo promanat, ut qui cum eo versantur, non omnia vitæ bona tantum, sed etiam mala parui aestiment, omnibusque laboribus tormentis cruciatibus animam excelsiore gerant. Quemadmodum qui in excelso aliquo, sublimique loco constituti sunt, omnia inferiora quæ antea suspiciebant & admirabantur, despiciunt, ac parua fereq; nulla aestimant. *Iusti*, inquit Gregorius, l. 5. mor. c. 22. supra se interiuersi in alto animum figunt, atque dum extra carnem fieri mente decer-  
 tant, ipsa pene quæ patiuntur ignorantia velut in magni montis vertice subiecta sibi intus vident, quæ per carnalem gloriam foris timent. Hic denique

168 DE ORATIONE

que ortum habet religiosæ vitæ præcipuum, nō tantūm fundamentum, sed etiam ornamentum, paupertas spiritus, nuditas, & spoliatio sui perfecta, sicut etiam magnanima illa ac fortis in iniurijs & morte ipsā pro Christo toleranda, patientia.

QVINTVS FRUCTVS.

*Sui contemptus & odium.*

**Q**VINTUS FRUCTUS est, quod per orationem mentalem illustrata anima, & intimam sui notitiam adepta, non eam tantūm vanam animi elationem, quæ ex rerum terrenarum abundantia, & prospero successu, sed etiam spiritualem, quæ ex virtutum & bonorum spiritualium possessione oritur, facilimè cuitat, intelligit enim se à seipsa nihil esse, & nihil habere suis meritis, quæ et si in se aliqua agnoverit, Dei tamen dona esse scit, non sua: neque verò etiam

sibi

Sibi deberi bona quæ accepit, sed  
potius peccatis supplicia, quæ iustè  
timere potest, & illa peccata sua æ-  
qua lance ponderando eorum gra-  
uitatem sentit, & omnium pedibus  
eorū onere depressa se subiicit, tan-  
tum abest ut aliis sese præferat, aut in  
Dei donis singularem se reputet, aut  
haberi velit. Atque hæc ipſa humi-  
litas, initio quidem verissima sui no-  
titia innititur præcipue; sensim vero  
eo assurgit, vt cum omnibus aliis  
Deum prælentem & operantem, &  
innumera eius dona agnoscat, liben-  
tissimè sese demittat infrà omnes, vt  
in aliis quasi exaltet Deum magis ac  
magis, cùmque extollat, atque ma-  
gnificiat. Quare si qui affectus hu-  
iusti sunt in meditatione excita-  
ti, magnifici sunt & instar bacu-  
li, qui in lubrico vitæ spiritualis iti-  
nere semper sit ad manum, vt nos  
fulciat & sustineat, sunt habendi.

SEXTVS

## Sextus Fructus.

*Contemptus vanæ hominum  
æstimationis & digni-  
tatum.*

Sextus Fructus est fuga & contemptus vanæ hominum æstimationis, gloriæ, honoris & amoris singularis, quæ inter mundi bona solent maximè generosos animos mouere. Affectus enim gloriæ & honoris vanitas nascitur ex ignorantia, siue sui, siue hominum, qui nos laudant, magni q; faciunt aut honorat, siue eorum bonorum propter quæ laudari nos, & amari, & honorari appetimus. Quæ omnia cùm sint Dei dona, certè tantummodo sunt ab eo donata nobis, & appetenda quatenus idonea sunt media ad ipsius gloriam, non autem ad nostram qui nihil sumus. Hanc ignorantiam depellit meditatio, & ingenerat in animis

nimis nostris contemptum nostri & amorem Dei, ac affectum ad eius gloriam & honorem omnino propensum, cui seruire omnia bona nostra debent. Huc etiam spectat ambitio, quæ nihil est aliud quam desiderium potestatis alios gubernandi, cui annexa est repugnancia in subiiciendo se humiliter alterius regimini. Hanc excellentiam superbi appetunt, ut quoddam bonum proprium; quo modo non est tantum vanum, sed pericolosum. Quis enim nouit an optatis officiis si potiretur, fungi dignè posset? Deus in Ecclesia & republica diuidit officia omnia prout vult, & vtitur quibus vult tanquam instrumentis ad alios ad gloriæ suæ amplificationem instituendos & dirigendos. Quare signum est magnæ ignorantis sui & Dei, appetere hujusmodi dignitates, cum nemo sciat an habeat unde satisfacere iis queat, & licet habeat idoneas animi vires  
qui-

## 172 DE ORATIONE

quibus eas posset pro dignitate suffi-  
nere, sciretamen non potest ac veli-  
Deus uti tali instrumento, imò iudi-  
care de se quiuis debet, se planè in-  
dignum esse, quo Deus ad res præcla-  
ras vtatur. Quare si forte vocetur ad  
aliquid simile officium, non tantum  
non acceptat auidè, sed refugit quâ-  
cum potest. Vbi verò non potest,  
cum humili timore submittit hume-  
ros, sese Deo subiicit & coniungit ut  
eius instrumentum, & putat suitunc  
muneris esse plura pro Deo agere &  
pati, non autem sua curare, aut suam  
operosè autoritatem tueri. Hæco-  
mnia mirum est quām clarè medita-  
tio detegat, ac proinde hi affectus a-  
deo excellentes ad quotidianam  
sui contemptus praxim  
utiliter valde ap-  
plicari.

SEPTI-

## SEPTIMVS FRVCTVS.

*Proprii sensus expoliatio & obe-  
dientia.*

**S**eptimus Fructus est mortificatio  
tum voluntatis, tum intellectus,  
humilisque subiectio & obedientia  
non erga Deum tantum, sed etiam  
erga homines Dei vicarios. Proue-  
nit hic fructus ex suæ tum cæcitatis,  
tum malitiæ propriæ voluntatis co-  
gnitione & prouidentiæ Dei suauis-  
simæ, à qua omnis ordo & potestas  
dimanat. Hanc cognitionem hauri-  
mus in meditatione, vnde non so-  
lent esse proprij iudicij & volunta-  
tis amatores, qui benè meditantur.  
Hocque inter cætera certum est sig-  
num bonæ orationis, quando hæc  
nos planè superioribus subiectit cæcā  
quâdam obedientia, & quæ clausis  
oculis ad rationes humanas quæ di-  
uino vel superiorum præcepto con-  
trariae videntur, sanctâ quadam sim-  
plici-

## 174 DE ORATIONE

plicitate & sapienti stultitia, id quod  
præceptum est exequitur. Præterea  
verò meditatio solet valdè tempera-  
re affectus omnes voluntatis, & in-  
tellectus, practici iudicia corrigere,  
& potentiam hanc utramque sensim  
aptare, & dirigere ad primā & sum-  
mam regulam omnis bonæ volunta-  
tis & iudicij. Atq; hæc propriæ vo-  
luntatis mortificatio cùm perfeda  
est, excellens amoris Dei effectus est  
quo ad eius gloriam & honorē præ-  
stantissimam nostri partem, & li-  
benter subiicimus, & propter eum  
benè afficiuntur tum erga superiorē,  
tum erga id quod præcipit, tum erga  
illam subiectionem quâ ita Deum  
honorari scimus. Cùm igitur affe-  
ctus aliquis odij in propriam volun-  
tam & iudicium meditando exci-  
tatus est, colligendus est ne effluat,  
& considerandum quomodo in pra-  
xi usui esse queat ad frangendā, cùm  
**occasio aderit, voluntatem, non tan-**  
tum

tum quando cum superiore agitur,  
sed etiam quando cum aliis.

## OCTAVVS FRVCTVS.

*Desiderium perfectionis.*

**O**ctavus Fructus est desiderium ardens proficiendi in perfectione. Nam ille est ignis qui solet exardescere in meditatione, & maximū fervorem totius diei exercitiis communicare, adeo ut quæcumque ad perfectionem spectant, integrè, ferventer, constantérque perficiantur. Hæc est aqua sapientiæ salutaris, qua Christus orantes potat, quam qui bibunt adhuc sitiunt: *Hec est dulcedo cœlestium pulchritudinum*, inquit Eucherius, *Hom. de B. Max. Episc.* *Quæ quanto intentius queritur, tanto intentius desideratur.* Nam vt officiū meditationis est mentem illuminare practicè, & attentam facere circa omnium virtutum studium, fieri non potest,

## 176. DE ORATIONE

poteſt, quin in ipſo quotidianæ vitæ  
vſu lux illa & ardor in meditatione  
conceptus adſit, & in executionem  
continuò ſtimulet & iuuet, vt expe-  
riuntur ij qui diligenter in meditati-  
onem incumbunt. Eſt enim verus  
animæ cibus, quo vniuersum virtu-  
tum & perfectionis corpus ſuſtentan-  
tur, alitur & augescit, ſine quo lan-  
guet planè & ſenſim interit, nec tan-  
tum feruentia deſideria excitat, ſed  
etiam discretionis mater eſt, vt ex-  
equutio ipſa prudens ſit, prælucet, &  
à Deo opem auxiliūmque impetrat,  
vt ea quæ proposita ſunt perfici que-  
ant. Denique aperit ipſa singularū  
virtutum naturam & pretiū, & pro-  
naturæ neceſſitate ac cuiusq; digni-  
tate nos impellit, vt vel hanc vel il-  
lam nobis comparemus. Hæc verò  
deſideria ut efficacia ſint perpenden-  
dum eſt, quomodo ſingula ad ſin-  
gulas actiones vitæ noſtræ accomo-  
dari debeant.

NONVS

## NONVS FRVCTVS.

*Imitatio Christi.*

**N**onus Fructus est vera & solida  
imitatio Christi Domini, ad  
quam imitatio præcipue vitæ & pas-  
sionis eius nos ducit. Quia scilicet e-  
xemplaria contemplamur virtutum  
eius omnium, atque id eo fine ut qui  
Deum in ipso met Deo imitari non  
possimus, etiam ad aliquam ipsius i-  
mitationem incitemur, ei saltē homi-  
ni factō perfectē nos, vitamq; no-  
stram conformemus. Nam ideo di-  
cit se esse lucem mundi, quia ex eius  
actionibus lux quædam practica ef-  
fulget, quā virtutum eius perfectio-  
nem cernamus, & in nobis imprima-  
mus per contemplationem, donec  
transformemur de claritate in clari-  
tatem tanquā à Domini spiritu. Atq;  
hic vñus fructus omnes alios perfici-  
cit, & euehit ad summum gradum,  
quādo efficit, vt talis sit nostra mor-  
tifica-

## 178 DE ORATIONE

tificatio, renunciatio bonorum omnium & famæ, humilitas, obedientia & cæt. qualis fuit Christi. Qui igitur intellectu & voluntate in solemnitate horâ integrâ meditatione continenter intentus & eius splendoris perfectionisq; ardenti amore conceptus fuerit, tali sit affectu tota dicurare debet, ut velut radius quidam diuinæ lucis ei à quo splendorem trahit se reddat quam simillimum.

## DECIMVS FRVCTVS.

*Intentionis rectitudo.*

**D**ECEMUS Fructus est intentionis rectæ perfeccio, quæ propriè est ab amore Dei, quando non querimus per vitæ nostræ usum commodum aliquid proprium bonū, corporale, temporale, aut humanum, immo nec spirituale, sed in omnibus & præceteris unum Dei bonum & gloriam. Meditatio enim imprimis in bonis

bonis omnibus discernit rationes formales, sub quibus illa appetiā voluntate possunt, eāmq; demūm voluntati proponit, in quam eius electio & intentio feratur, quę maiorem cęteris veri boni rationem includit. Enim uero cùm inter bona creata & naturalia, scientia exempli gratia appeti soleat à quibusdam, quia est bonum intellectus, qui naturaliter perficitur à scientia; & hic finis sit inutilis, & vana curiositas: ab alijs quia est medium ad diuitias comparadas: ab alijs quia confert ad honores & hominum aestimationem colligendam, & hi omnes fines avaritiæ sordibus aut ambitionis & vanitatis fumo cōmaculati sint. Deinde verò cùm eadem scientia possit esse medium ad Dei gloriam, quatenūs per eam Deū & nos cognoscimus, melius & ad eū amandum efficacius prouocamus, vel quatenūs potest nobis esse instrumentum ad alijs eandem Dei cognitio-

## 180 DE ORATIONE

tionem & amorem communicandum, sitq; hæc ratio eam appetendi atq; eius comparandæ finis honestissimus; Meditationis proprium munus est excussa cæterarum huiusmodi rationum leuitate, huius vnius soliditate motus voluntatis naturâ vagos ac fluctuantes confirmare.

Idem verò etiam in bonis supernaturalibus, atque in naturalibus iudicium esse debet, Nam in supernaturalibus bonis duplex quoq; est ratio formalis cur appeti possint: gratia enim & gloria exempli causa & sunt bona nostra quo modo ea appetimus, petimusq; per virtutem spei & amorem qui vocari solet concupiscentiæ, quæ intentio bona est, sed non omnium perfectissima, & verò sunt etiam media ad Dei gloriam aptissima, sunt enim excellentia quædam eius opera, in quibus immensæ eius perfectiones, tanto eluent clarius, quātò ipsa maior est sanctitas & gloria,

ria, sic autem ea præcipue desiderare, amoris & charitatis perfectæ est. Cū igitur res ita se, quemadmodum diximus, habeant in bonis naturalibus & supernaturalibus. In utrisque hoc præstat meditatio ut & rationes solidas clarius menti detegat, & voluntati acriores stimulos addat, vt Dei bona proprijs abdicatis in singulis nostris actionibus, atq; adeo continuo in totâ vita nostra, non minore constantia, quam intentionis puritate, persequamur.

## UNDÉCIMVS FRVCTVS.

*Vnio cum Deo.*

**V**NDECIMUS Fructus est perfecta vnio animæ cum Deo per amorem actualem, & frequentes in Deum aspirationes, quæ ex fonte illo amoris manat, & toto die eructare faciunt animam verbum bonum, adeo ut nonnunquam nihil aliud lo-

l 2 qui,

qui nihil cogitare præter Deum pos-  
sit. Tanta est nimis suauitas & fa-  
cilitas conuersationis cum Deo fa-  
miliaris, quæ ex oratione mentalio-  
ritur, ut inde efficiatur ut verè sem-  
per homo quodammodo oret, & o-  
mnia sua opera illo diuini amoris sa-  
pore condiat, & siue bibat, siue co-  
mediat, siue studeat, aut quiduis tan-  
dem aliud agat, in Deo, & cum Deo,  
quem semper præsentem habet, illud  
agere videatur. Huc spectat deuotio  
illa continua & affectus Deo placen-  
di in omnibus, item actualis confor-  
matio voluntatis cum diuina volun-  
tate. Supponit hic fructus præceden-  
tes per quos omnes animæ vires à  
creatis bonis abductæ in id vnum cō-  
sentient, ut nulla iam resistente om-  
nes sese facile Deo sumo & vero bo-  
no coniungant. *Quamquam hæc infi-*  
*ma, inquit Augustinus, habeant suas*  
*delectationes suosque amores, non tamen*  
*tali modo delectant, sicut tu Deus no-*  
*ster:*

ster: in te enim delectatur iustus, quia  
amor tui suavis est & quietus: nam pe-  
ctora quae possides dulcedine, & suavi-  
tate, & tranquillitate repletas; & contra  
amor seculi anxius est, & perturbatus,  
animas certè quas ingreditur quietas es-  
se non patitur, semper enim suspicio-  
bus & perturbationibus variisq; timo-  
ribus sollicitat eas: tu itaq; es delectatio  
rectorum, & merito, quies enim valida  
est apud te, & imperturbabilis vita, qui  
intrat in te, bone Domine, intrat in gau-  
dium domini sui, & non timebit amplio-  
ius, sed habebit se optime in optimo.

## DODECIMVS FRVCTVS.

## Zelus animarum.

**D**odecimus Fructus est amor  
proximi flagrantissimus, siue  
zelus animarum, qui per meditatio-  
nem quamuis etiam in incipientibus  
inchoetur, non tamen perficitur nisi  
per meditationem perfectam, scili-

## 184 DE ORATIONE

Cet in iis duntaxat qui iam in perfec-  
tionis curriculo prouecti sunt: is e-  
stum ut plurimum solet ex contem-  
platione dimanare, idque in iis qui  
ad proximum iuuandum à Deo vo-  
cati sunt. Nec enim fructus hic ab  
omnibus qui meditationi dant ope-  
rā coligitur semper, nisi forte quo-  
ad affectum. At verò qui ad illud vi-  
ta genus à Deo vocati sunt, in quo  
non solo affectu proximi salutem o-  
ptare, sed omnibus modis procurare  
debent, in ipsa meditatione sensim  
à Deo non tantum eo zelo accen-  
duntur, sed etiam erudiuntur quib⁹  
mediis & industriæ præsidiis, quibus  
occasionebus proximum iuuare pos-  
sint, & quomodo actionem contem-  
plationi coniungere, sic vt actio ex  
contemplatione, & meditatione, vt  
proprio & vero suo fonte, dimanet;  
& ipsa contemplatio actionem non  
impedit, sed perficiat. In hoc con-  
sistit perfecta Dei & Christi imitatio,

vt

ut incensa Dei amore anima, sui qua-  
si oblita, vires omnes, & bona sua,  
& ipsam etiam propriam vitam ad  
maiorem eius gloriam procurandā  
conferat, seque generosè neglectā  
molestias omnes vltro adeat, nullis  
parcat laboribus, nullisse, vbi res Dei  
agitur, subducat periculis, nullas  
subterfugiat difficultates. *Hoc enim*  
*habet vera & casta contemplatio, in-*  
*quit S. Bernardus, ser. 57. in Cant. ut*  
*mentem, quam diuino igne vehementer*  
*succenderit, tanto interdum repleat ze-*  
*le & desiderio acquirendi qui eum simi-*  
*liter diligant, ut otium contemplatio-*  
*nis libentissime intermittat: & rursum*  
*potita votis aliquatenus in hac parte,*  
*tanto ardenter redeat in idipsum,*  
*quanto se fructuosius intermisso memi-*  
*nerit.*

## CAPUT XX.

## De deuotionis defectu.

**H**os tantos Fructus impedire so-

I 4

lere